CONCIO

CORAM

RR^mo ARCHIEPISCOPO,

REVERENDIS admodum EPISCOPIS,

ET

CLERO

Provinc. CANTUAR.

Synodice congregatis,

HABITA,

In Eccleſia Cathedrali S. PAULI Lond.

Menſis Octobris Die xxv. A. D. MDCCV.

A GEORGIO STANHOPE, S. T. P. Decano CANTUARIENSI, REGIÆ MAJESTATI à Sacris.

Juſſu Reverendiſſimi publici juris facta.

LONDINI,

Typis W. B. impenſis verò R. SARE in Porticu Hoſpitii Grayenſis Auſtrali, & R. KNAPLOCK ad Inſigne Angeli & Coronæ in Cœmeterio Paulino, MDCCVI.

CONCIO

CORAM

RMO ARCHIEPISCOPO,

REVERENDIS admodum EPISCOPIS,

ET

CLERO

Provinc. CANTUAR.

Synodice congregatis,

HABITA,

In Ecclesia Cathedrali S. PAULI Lond.

Nonis Octobris Die XXV. A. D. MDCCV.

A GEORGIO STANHOPE, S. T. P. Decano

CANTUARIENSI, REGIÆ MAJESTATI à Sacris.

Nunc Reverendissimo publicæ Juris Factâ.

LONDINI,

Typis W. B. Impensis vero R. SARE in Portâ Hospitii Gratiosi Anglicè, Gray's-Inn. Et R. KNAPLOCK ad Insigne Angeli S. Georgii in Cœmeterio Paulino, MDCCVI.

Epist. S. Jacobi, Cap. iii°. Com. 17°.

Ἡ δὲ ἄνωθεν σοφία πρῶτον μὲν ἁγνή ἐστιν, ἔπειτα εἰρηνική, ἐπιεικὴς, εὐπειθὴς, μεστὴ ἐλέους καὶ καρπῶν ἀγαθῶν, ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος.

Vulgata sic se habet.

Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiâ & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.

CORAM Vobis, Reverendi admodum Patres Fratresque, verba habituro, Quid prius in mentem venire tractandum oportuit, quàm, quâ tot tantosque Viros hoc uno complector intuitu ornatissimos, Sapientiam? Sapientiam nimirum, non *terrenam*, non *animalem*, nedum *diabolicam*, qualem Commate *decimo-quinto* sugillatam videre est;

eſt; Sed quam & Dignitas veſtra, & ipſe in quem jam convenimus locum, & hodierni præſertim officii poſtulat ratio, *deſurſum* illam & verè cœleſtem.

1. *Primò* igitur, Huic Sapientiæ ſuis commendandæ quam arripuerit anſam Apoſtolus;

2. Deinde *Secundò*, cujuſmodi illa ſit Sapientia, paucis accipite:

Date autem, quæſo, veniam, ſingulis hujus Sapientiæ Criteriis, prout ordine occurrunt ſuo, Conſectaria quædam ſubjiciendi.

I. Ad *Primum* quod attinet; Suis præce-
v. 1. perat Apoſtolus, *ne multi vellent eſſe Magiſtri.* Novatores (ut videtur) quoſdam perſtringens, qui, ſuo haud contenti modulo, ad docendum temerè proſilire, Veritatem impuris dogmatibus conſpurcare, Diſciplinæ jugum excutere, Quin &, (qui mos eſt & ingenium Eccleſiam in contraria ſcindentium ſtudia) quibus morem gerere debuiſſent, calumniis convitiiſque illos impetere non ſunt veriti. In hos ab exordio Capitis invectus, acri inprimis & venuſto ſtylo effrænis linguæ vitia exagitat. Quæ, quoniam omnes ſibi ſolet habenas laxare, quoties præ nimiâ ſuâ fiduciâ cæteros habet deſpicatui; turgida hæc, maledica, & imperii appetens, a verâ tandem

Sapientiâ

Sapientiâ quàm toto diſtet cœlo, Comma *decimum-tertium*, & quæ deinceps ſequuntur, apertè docent.

II. Quid animum induxerit Apoſtolo, ut de Sapientiâ, tum verâ, tum falſâ, hîc ageret loci, quantum ſatis eſt, opinor, habetis. Jam, quibus Illa ſecerni poſſit Notis, quâ ornari nos atque imbui penitùs fas eſt, ſedulò anquirendum.

1. *Inprimis* igitur, De Sapientiæ eſſentiâ τὴν ἁγνείαν, ſive animi morumque Caſtitatem, eſſe, Id quidem operoſiùs probatum ire, dolendum quòd alicubi, quòd verò ullum ſit hîc loci opus, vel ſuſpicari nefas exiſtimo. Hoc ſcilicet *Nos inſtituit Gratia Dei ſalutaris, ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, ſobriè, & juſtè, & piè vitam degamus in præſenti ſæculo.* Hoc Nobis præſertim negotii nôſtis datum, qui Deo Sacriſque noſmet dicavimus totos; Gregem ut noſtræ commiſſum curæ Doctrinâ hortari, Exemplo prælucere, nullam denique non navare operam, quin & ipſius adire Capitis periculum, noſtri ducamus officii; dum illi feliciùs *Veterem exuti, Novum illum induant hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt ad Juſtitiam & Sanctimoniam veram.* Tit. ii. 11, 12 Eph. iv. 23, 24.

Conſect.

Conſect. At quid, obſecro, cum hâc Sapientiâ eſſe poteſt *veteratoriæ iſti ad inſidioſè fallendum verſutiæ*, quæ, quæſtui immane quantum ſuo, & Legem Divinam corrumpit, & Cœlum cauponatur impia? Apagè, ſint procul, Pietati verè Evangelicæ Peregrinationes longas, Libidinibus Animæ in ſervitutem redactis Corpus pauliſper exercitatum, Eleemoſynis in pauperum ſubſidium erogatis Cœnobia & Delubra egregiè ditata, anteferentes: Qui Indulgentias & Merita proſtitutum venum, & vanâ ſpe lactatis fidem faciunt, quæ illi perperam agunt nullo ſuo fieri periculo, modò Catholica (ſi placet) Conciliabuli cujuſdam Decreta exoſculentur, nec, in quam Duces cœci tendunt foveam, cœco ſe inibi obſequio præcipites dare abnuant. Apage etiam ingens Reformati Nominis dedecus, Solifidianorum atque Antinomorum fæcem; Qui, neceſſitate bonorum operum ſublatâ, nihil ſibi non licere putant; Et, loco *fidei in novam Creaturam per Dilectionem perficiendæ*, fiduciam in Chriſto inertem & prorſus impudentem ſubſtituunt. Quin & faceſſant pariter, e Noſtris ſi qui ſe haberi cupiunt, quorum vel Dogmata novitia Veritati adverſantur, vel Confeſſionem ſanctiſſimam peſſimi

Eph. iv.

peſſimi deturpant Mores, vel alio quovis pacto in causâ ſunt, cur Virtuti, veſtriſque in hâc deſudantium arenâ laboribus obſtruatur via, cur palàm peccandi & locus & audacia ſuppetat, noſtroque adeò Corpori infamiæ inuratur nota. Verbo dicam; Cujateſcunque fuerint, qui bonis literis operam intendunt, ſeipſos interea loci curantes molliter, nec quidquam præter carnem mundumque ſapientes, *Omnia licet myſteria, omnem ſint ſcientiam aſſecuti*; Næ illi committunt, ut magnâ cum eruditione egregiè magis deſipiant, &, poſt tot exantlatos incaſſum labores, *nihil adhuc nôrunt, quemadmodum oportet nôſſe.* 1 Cor. xiii. 1 Cor. viii. 2.

2. *Puritatem* comes indivulſa ſequitur *Pax.* Rixarum ſiquidem illa & contentionis acerbæ fomitem reſtinguit, nec quid ſinit eſſe reliqui, quod in hæc prorumpat incendia. Enimverò Apoſtolus *Quartum* exorſus *Caput*, *Bella & pugnas ex concupiſcentiis quæ militant in membris noſtris*, proficiſci ſtatuit. Jure quidem meritiſſimo. Cum & Naturam & Virtutem conſtet paucis, iiſque quæ nullibi non ſint præſto, contentas eſſe: Indomitam verò honorum, divitiarum, voluptatumque cupiditatem, cui nihil eſt ſatis, omnia præripere, & lites, quo jure quâve injuriâ, intendere,

dere, protrahere, consopitas resuscitare denuò, graviores denique, perpetuas, atque sempiternas facere.

Hinc factum, ut ad quod nec Leges antehac civiles, nec sapientissimæ Philosophorum disciplinæ, satis idoneæ fuerant, id una effectum dederit, quæ supernè defluxit Sapientia. Desideria nempe, licita coercendo, prava ex animis evellendo, Gubernatoribus æquitatem, Subditis obsequium, Universis dilectionem fraternam imperando, ex alienis incommodis nequis sibi commodum comparet suum, prohibendo; Postremò, (quod omnium Caput est) siquis secùs fecerit, rationem pro summo tribunali olim reddendam inculcando, optimè saluti publicæ consuluit. Nihil enim sanctius, nihil habet antiquius Christi Religio, quàm ut suum cuique tribuat, quàm ut singulorum jura, possessiones, officia, amicitias, omnia quæ ad bene beatéque vivendum, omnia quæ ad morum suavitatem, quæque ad ordinem societatemque humani generis faciunt, sarta tecta tueatur. Ut frustrà sit falsusque in posterum omnis, sese *Sapientiam hanc sapere* autumans, qui non sit idem modestus & *pacificus*.

Id unum præterea ſuper hâc re cur adjiciam, in cauſa eſt adverbium ἔτι καὶ νῦν, hîc loci minimè omnium otioſum. Quidnî enim ordinem ſubmonet in hiſce virtutibus ſervandum; Iiſque, qui *Paci* Chriſtianæ ex animo ſtudent, a *Puritate* auſpicandum eſſe? Quæ niſi ſubſternatur, *Pax* nulla fida, nulla diuturna eſſe poteſt; Sed, fundamenti expers ſui, magno pangentium damno brevî corruitura. Abſit enim, ut apud omnes, quibuſcum inter ſe convenit, veram eſſe *Pacem* exiſtimemus. Sceleratorum ſcilicet Concordia non tàm Pax eſt, quàm Conjuratio; Sapientiam unde orta eſt, referens parentem, *terrena, animalis,* & *diabolica.*

Quin neque nobis integrum relinquitur Pacem, per ſe licet deſideratiſſimam, quantivis emere pretii. Nam, quæ cæteras ferè hujus vitæ commoditates contrà chara eſſe debet, ſi tamen Fidei ſemel ſanctis traditæ, ſi Conſcientiæ, ſi Eccleſiæ, ſi Reipublicæ, ſi qualis hominem decet Chriſtianum Conſtantiæ, ſteterit diſpendio; adeò non laudi ducitur, ut etiam vitio vertendum ſit ſtudium ejus intempeſtivum. Nimirum ejuſmodi inducias cum improbis malè ſarcire, non tàm boni manſuetique, quàm tepidi, ignavi, planéque perfidi eſt.

Conſect. Et Pacis quidem amorem præ ſe ferre nemo non amat. At at quàm vellem huc animum ſeriò adverterent, qui Pacis Studioſos & eſſe ſe debere fatentur ultro, & præ cæteris haberi impenſè volunt. Quiſquamne enim eſt hominum, cui non ſit mirum, in Chriſti nomine claſſica cani, Condiſcipulos, Fratres, Membra, ſe invicem cædere, ſpoliare, extorres facere, capite plectere, Reges deturbare ſolio, omnia denique miſcere, & ea in ſe admittere flagitia, quæ memorare & pudet & piget? At verò faciendum, ut iſtiuſmodi Homunciones nos non latere qui ſint ſciant; Cavendum etiam ſedulò, ne cæteris fucum faciant, qui cauſis optimis peſſima prætexere ſolent incepta. Non enim quæ deſurſum eſt Sapientia iſtis eget defenſoribus: Non dolo malo & fœderibus turpiter ruptis, non rapinis & ſacrilegio, non perjurio & perduellione, non ferro flammiſque niti gaudet. Non iſti ſub Pacis Principe merentur, qui ſanguine litant nullius reorum culpæ; niſi & Patriâ carere ſuâ, & acerbiſſima quæque officii ergò fortiter ſuſtinere, id demum ſit culpæ inſimulandum. Sive igitur Fidem Catholicam, ſive Reformationem obtendant iſti, & ſexcenties nos obtundant; Nugæ & Fraudes omnia.

Nam

Nam neque illis verè *Sapientibus* esse licet, quos a *Pace* alienos præposterus abripuit zelus; Neque aliis expedit adeò esse incautis, ut oculos erui sibi patiantur, &, *Pacifici* dum perperam esse laborant, *Sapientes* esse desinant.

3. Ad *Pacem* verò, tùm conciliandam, tùm firmandam, rectissimè jussit Apostolus, ut *Sapientia* sit, *Tertio*, ἐπιεικὴς, scilicet *Moderata*. Quâ præstantissimâ virtute haud scio an quævis alia sit ubique gentium, vel in hominum Sermone frequentior, vel in animo, vitâque rarior. Quam igitur rectè intellexisse perpauci, servâsse vix unus & alter videntur, operæ pretium fore duxi, si, qualis tandem sit, quàm dilucidè potero, expediam.

Vos, Viri Gravissimi, haudquaquam fugit, ἐπιεικεῖαν istiusmodi esse apud Philosophum de Jure Cessionem, quæ Legis scriptæ rigorem emolliat corrigatque. Nempe, nec quod suum est summum exigens, nec, siquid humanitùs fortè peccaverint, nihil in Fratribus tolerans. Aristot. Eth. l. 5.

Cùm enim Leges scriptæ ad universos pariter pertineant, Regulæ ad instar ferreæ, quæ flecti nec potest nec debet: In eo autem sint res nostræ loco, ut ἐπιεικέσιαι emergant quotidianæ,

dianæ, quibus inde ſuccurri nequit ; Nec ullo tamen vel Legum vel Latorum vituperio ; Æquitate ſive Moderatione opus eſt plurimum, quæ Legis aſperitatem leniat, defectum ejus propter generalitatem ſuppleat, caſibus denique omiſſis medelam adhibeat, quibus prævidendis, nedum præcavendis omnibus imparem ſe ſentit humana Sapientia. Abſque hâc eſſet, nec Societas, nec Tranquillitas, vel communis, vel privata, poſſet conſiſtere. Siquis ergò, hâc ſepoſitâ, in animum inſtituat ſuum, quæ in vitâ obveniunt ſingula, Dicta Factaque ad examen durius revocare ; Is profectò, tetricâ illâ & malitiosâ ſeveritate, peſſimè it conſultum, & Rerum naturæ, & Legum conſilio, & Utilitati publicæ, & Religioni præſertim Chriſtianæ ; Quippe quæ ad Dei tribunal nos omnes ſiſtens peccatores, quos ſuorum vult nunquam non meminiſſe, alienis parcere jubet erroribus.

Sunt tamen fines certi, moduſque in hâc etiam ſuaviſſimâ Virtute adhibendus. Nam neque committendum, ut Injuriam, quam Jus habet ſummum, incautè devitantes, in contrariam, eamque perinde gravem incurramus, à facili nimis & ignavâ juris relaxatione certo certiùs profecturam. Enimvero ~~Omnis~~ eſt,

Legem

Legem in loco mitigare, accommodare, adimplere, perficere; Non peſſundare, non enervare, non abolere penitùs. Ex quo fit, ut ſcitè moneat Philoſophus, Hanc a Juſtitiâ minimo diverſum quid, ſed Jus ipſum; nec Jus tantùm, ſed & Jure melius quoddam eſſe: Quamque Illa fert ſententiam, eam, ſi præſens adeſſe, aut rem ut ſe habet omnem prævidere, potuiſſet, ipſum Legis conditorem fuiſſe laturum.

Multum ſanè intereſt, in judicando, Legis benigniùs attemperes verba, vi tamen ejus & verâ mente ſalvis; an detorquendo conſilium negligas, funditusque ſubvertas. Permultum etiam refert in agendo, quæ ſcripta ſunt Imprudens aut Invitus miſſa facias, an dolo malo ludas, floccique pendas. Uſque adeò verum eſt quod dici ſolet, *Duo cum faciunt idem, non eſt idem.* Hæc itaque diligenter animo volvenda; ne, quæ Juri Legibuſque adjumento eſſe debet ſummo, ſummo ſit utriſque detrimento, Clementia. Nec bona enim, nec laudabilis eſt *iſtiuſmodi* (ut cum Vulgo loqui liceat) *Moderatio*, ſed Virtutis umbra tantùm & fucus: Vox ad fallendum peſſimo publico compoſita, eóque damnoſa magis, quanto magis ſpecioſa.

Eſt

Eſt illud quidem in hoc genere moleſtum, quòd plerique fere omnes, cùm in alienis acuti perquam & perſpicaces ſimus, in rebus tamen noſtris mirum quantum cæcutiamus ; quæque nobis fieri prolixè volumus, ea viciſſim facere haud parum gravemur. Quòd ſi in animos induceremus noſtros, Affectibus, Deſideriis, Imbecillitatibus, quàm planè iiſdem nos omnes effinxerit Natura; In unum omnes corpus quàm arctè compegerit tùm Societas Civilis, tùm Religio Chriſtiana ; Privato Membri cujuſlibet commodo ſalus & quies Corporis quàm longe ſint antehabenda ; Ad communem denique omnium ſalutem quantum conferat, & operas invicem tradere ſingulos, & venias indulgere mutuas : Hæc, inquam, ſedulò ſecum cogitanti, nihil ferè non dandum, nihil non faciendum, nihil non ferendum, nihil non ignoſcendum, Dilectionis & Utilitatis gratiâ videbitur. Neque enim in his nimius eſſe poteſt, qui id ſibi ſemper dederit negotii; *Primò*, ut, quantumcunque ceſſerit, de Proprio cedat, non de Alieno: *Deinde*, ut in ſingulis hujuſmodi conceſſionibus Legibus & Juri ſuus ſtet honos. Verbo omnia, Ut Dei gloriæ, ut Eccleſiæ ordini & incolumitati, ut paci denique & felici-

tati

tati publicæ, aliquod inde ſemper accedat incrementi.

Conſect. Vera autem ſi ſit hæc & germana, quam modò depinximus *Moderationem*; Videte, obſecro, quàm iniquè res noſtras æſtiment, qui Eccleſiam Anglicanam, Matrem mitiſſimam, pientiſſimamque, duram ſævamque conqueſti ſunt: Qui adeò non de ſuo cedunt Jure, ut Jus ipſum, veſtramque omnium Autoritatem, illis non dudum ceſſiſſe, indignum prædicent facinus. Cogitate, quâ fronte jactitent, & ἐπιεικεῖς ſeſe velint videri ſolos; qui, ſibi niſi omnia in manus dedantur, miras excitant tragœdias, & omnia confeſtim clamitant adempta. Veſtra, Patres, veneranda Capita, Clerumque veſtrum, nemo eſt qui neſciat, nemo qui eat inficias, omni cogitatione, omni operâ & diligentiâ, in id incumbere debere, Ut Fides priſtina, ut Regimen ſaluberrimum, ut Juramenta ſanctiſſima ſuſque deque ne habeantur; Ut Hæreticorum & Schiſmaticorum fraudibus eatur obviam; Ut Vulgi, miſerum quantum decepti, oculis diſcutiatur caligo; Ut Leges turpiter eluſæ, ut Eccleſiæ denique Jura & Prærogativæ poſteris tradantur incolumes. Jam verò, ſi quis Noſtrî, & Sibi

& Poſteris (ut videtur) providens, rerum Illis ſummam permittere recuſet, quorum in nos Amicitia jamdudum ſpectata eſt ſatis; Quo jactetur clamore, quibus conviciis, & palàm magis eſt, quàm quòd oporteat, & turpius, quàm quòd lubeat, referre. Mitto Viros eruditione ſingulari, pietate intemeratâ, fortitudine & fide inconcuſſâ, ſeſe transferendi ad Caſtra, Romanenſium hinc, Fanaticorum illinc, temerè incuſatos: A quibus utrinque Caſtris utinam perinde abhorrerent, qui odioſam inurere ſatagunt maculam. Mitto præteritas, quas reſipiſcentiâ quantumvis ſerâ deletas mallem; Hodiernas loquor & quotidianas contumelias: Eccleſiam Legum præſidio communitam, Infulas veſtras Epiſcopales, Munus atque Ordinem noſtrum ſacrum, quin & Fidem Chriſti, Chriſtumque ipſum θεάνθρωπον fœdiſſimis laceratum opprobriis. Quibus ſcelerum atque injuriarum monſtris & illud acceſſit atrocitatis, quòd inferentibus adeò perierit pudor, ut, dum probrum perniciemque moliuntur, ſe non & noſtros numerari, & nobis amiciſſimos, moleſtè ferant.

Verùm

Verùm neque cordi eſt, aut hæc memorare, aut parem nobis peſſimè volentibus gratiam rependere. Abſit, ut ita Chriſtum didicerimus! Sed nec ignavo committendum duxi ſilentio, quorundam *Moderationem* (ſed mendacem) præ cæteris crepantium quò minùs innoteſcant fucus & perfidia. Ex his enim præclaros facilè reperias Magiſtros, qui id ferè agunt, ut Dilectionem maledictis & calumniis inculcent; Ut in Eccleſiæ cultores obſequentiſſimos diſcordiæ apud noſtrates nunquam ſatis deflendæ culpam impingant omnem; Ut in Legum, Monarchiæ, Libertatum, acerrimos ex animo vindices, querelas & ſuſpiciones ſpargant iniquiſſimas. Quibus uſque adeò vulgus, (utinam & vulgus tantùm) capitur dolis, ut nihil ferè pro Ordine, pro Juribus, pro Veritate tentandum, non violentum atque aleæ plenum; Nihil contrà, quod horum nervos incîdat, adeò ſit vanum, abſurdum, maledicum, aut impium, quin & *Moderatum* illud, & tutum, & ſummoperè pacificum, apud bene multos appellari laudarique mereatur.

Habeant ſibi, quibus allubeſcit, abſurdum hujuſmodi *Moderationis* figmentum peſſimæ Cauſæ peſſimi Patroni. Quam tamen impor-

tunis expoſcunt clamoribus aliundè, Ejus ut in ſe dent primi documenta, nunquam non monendi. Quantum verò ſit in his prætextibus Vanitatis, quantum Inſidiarum, cùm cordatorum lateat neminem; Nos, Viri, Fratres, Patreſque, ſtudio indies prolixiori illam amplectamur & exoſculemur Eccleſiam, quæ, quicquid obganniant contrà calumniatores mercenarii, à ſe opinionum diſſenſione diſcrepantem opprimit neminem; Quæ voluntate & affectu liquidò nimis abhorrentes, etiam cum perdere poſſet, ſervare & in gremio fovere geſtit. Quid multa? Quam & ſuggerit Natura, & recta ſuadet Ratio, & præceperunt Chriſtus & Apoſtoli, veram animi temperantiam, Hæc, omnium quas ſciam Eccleſiarum una, & exhibet, & injungit. Neque enim vel ipſa conſcientiis vim infert, neque illos in ſobole genuinâ cenſet, qui errantibus & ignorantibus aut miſereſcere, aut, quantum ſalus & ſua patitur & publica, veniam indulgere aſperi recuſant.

4. Quam *Puram*, *Pacatam*, & *Modeſtam* accepiſtis, eſt quidem quod miremini, ſi non & *Ineptiis* præſtaret ſe *Sapientia*. Sive enim *Suadibilem*, (quod quibuſdam placuit) ſive (quod aliis arriſit magis) *Obſequentem* dixeris;

& vis fontis πείθω, & ipſius Sapientiæ natura, utrobique declaratur.

Vocem πείθω *perſuadeo* quantum ſpectat; Eſt illud profectò, ſi quid prætereà, Sapientis, nihil ſine ratione opinari; Aurem argumentis utrinque allatis patientem commodare; Judicium, quantum par eſt, & differre, & lato ſtare; Nec paulo ſcilicet momento huc illuc impelli, (Quod levitatis & imbecillitatis eſt) Nec magno non flecti; (Quod temeritatis & pertinaciæ;) Quocirca, in rebus obſcuris captumque exuperantibus, & Virorum gravium bonorumque conſenſioni aliquantum, & Eccleſiæ autoritati plurimum, & Veritati per S. Literas patefactæ totum, tribuere Sapiens noſter non dedignabitur. In cæteris verò, Opiniones vel Populares, vel Suas, quantumlibet diuturnas, ubi tamen vanas dubiaſve detexerit dies, & inſitas animo evellere, & novas inſerere, nullus gravabitur. Neque enim ſibi præ modeſtiâ diffidendo, à dignitate Hominis, cujus eſt errare, diſceditur; Neque Chriſtianum, cujus eſt errores & confiteri & deponere, dedecet, ſententiam, quoties Veritas & Officium poſtulant, in melius mutare.

Ad

Ad mentem Verbi πείθω *obtempero* accedunt propiùs, quibus εὐπειθῆ *Obſequentem* vertere viſum eſt. Virtutem nempe tractabilem, comem, facilem ſignantes, Quæ à ſuperbiâ & malignitate abhorreat, Quæ hominem feritate prorſus exuat, Quæ in omni conſuetudine ſuavitatem exhibeat, Præſtantioribus loco cedat, Pares libenter audiat, Moribus denique & ingeniis, quibuſcum vivitur, quantum fas eſt, obſecundet. Neque enim eſt in vitâ communi vel Virtutis vel Diſciplinæ quidquam, quod Virum ingenuum & verè liberalem decet, quod amicis charos, quod univerſis gratos deſideratoſque reddat, quin id omne in ſuis & comprobet, & collaudet, & vehementer efflagitet, delapſa cœlitùs Sapientia.

Conſect. Ex propoſitis liquet, Iſtis omnibus nullo ſuo merito Sapientiæ palmam deferri, quibus ea non faciunt argumenta ſatis, quæ rei de quâ agitur natura fert: Quorum importuna & planè ridicula ſubtilitas, demonſtrationes ubique poſtulans, Fidei noſtræ myſteria faſtidio habet; Vel quorum cerebroſa & inflexibilis pervicacia, ne ſibi non ſemper conſtitiſſe videatur, Veritati recens elucidatæ manus dare in probro & dedecore ponit:

ponit: Vel denique, quorum Inſtabilitas, nullo innixa fundamento, conſilium mutat in horas, &, nullis ſe Magiſtris addictam gloriata, certiſſima & ſanctiſſima quæque in medio relinquere laudi ducit. At verò, abſit ut hanc exiſtimemus *Suadibilem* & ſuſpiciendam de Cœlo *Sapientiam!* Cum Illâ quidem pugnat, quæ nihil ſibi patitur perſuaderi, Obſtinatio; Nec minùs Illi pariter adverſatur, quæ omnia Sibi perſuaderi patitur, profana & deſultoria animi Mobilitas.

Obſequentem porrò cum hanc *Sapientiam* acceperis; Comitatem fac ne vitioſam intelligas, quâ animi degeneres *poſt multos eunt* Exod. 23. 2. *ad mala*, aut, ne moleſti ſint, turpia atque obſcœna improbandi invidiam reformidant: Nec verò artes vult Hæc Aſſentatorias, quibus gratiam apud Magnos & inire, & augere, & retinere, à pecore ſervo ſtudetur. Non, Non eſt hujus loci Obſequium, verſatile illud aut ſordidum, minis fractum, aut promiſſis & præmiis captandum: Sed humanum, ſed magnificum, ſed impavidum, ſed propoſiti tenax ſui: Quicquid licet expeditque alacri concedens animo; ſed, niſi quod rectum

rectum honeſtumque ſit, nihil ſibi licere, nihil expedire judicans.

5. His inſtructa dotibus Sapientia ad agendum ſe accingit, *Miſericordiâ & fructibus bonis abundans.* Quo enim fieri poteſt pacto, ut Arbor tàm patula, tâm fælix, aut ſterilitatis damnetur, aut frondibus luxuriet tantùm? Inde germanos ejus fœtus expectare & polliceri nobis fas eſt: Quæcunque nempe beneficia liberales qui eſſe ſtudent maximè, humani generis Commodo, tùm publico, tùm privato, ſolent impendere. Ea præſertim, quibus & eriguntur Lapſi, & Errantibus Salutis monſtratur via, & rebus Afflictis Solatium, & Egenis Facultates ſuppetunt, & Pendentibus animi Curæ moleſtiæque levantur.

Luk. 16. 8. *Conſect. Hujus* ſiquidem *Sæculi prudentibus* ſe ſibi ſolùm natos arbitrari ſolenne eſt: *Lucis* autem *filii*, a Deo edocti, nec inertem aliquam, nec inutilem, nec immitem duramque agnoſcunt Sapientiam.

6. Hinc facilè patet Sapientiam veram eſſe etiam Ἀδιάκριτον. Quæ vox quid ſibi velit non ità eſt in promptu diſertè ſtatuere. Mentem quidem Interpretum haud abs re eſſet

eſſet vobis ob oculos ponere, niſi me effluens moneret hora cætera miſſa facere, & noſtram quàm potero paucis explicatam dare.

In magnâ igitur Sententiarum diſcrepantiâ, me, fateor, movet plurimùm Virorum minimè vulgarium conſenſus, qui *non dijudicans*, ſive *non diſtingnens*, commodiſſimè reddi cenſuerunt. Nec tamen ab illis eò deventum eſt vecordiæ, ut ne ullum quidem, vel in Beneficiis locandis, vel in Amicitiis incundis, vel in Muneribus aſſignandis, vel in Judiciis ferendis, vel denique in Vitâ communi, virtute inter præditos, & vitiis inquinatos, delectum putarent habendum: Sed cujuſmodi ſit is, quem hîc loci abjudicat & rejicit Apoſtolus, ex iis quæ ſequuntur liquidò conſtabit. *Reprehendit* προωπολημψιαν (inquit *Beza*) *& alias cogitationes, quæ animum abducunt in avia.* Similiter & *Grotius*, Ἀνθρωπίνας, *quæ non diſcernit homines ſecundum carnem.* Quale eſt illud in Capite *Secundo*, de Fratribus duobus in conſeſſum publicum ingreſſis; Splendidè veſtito Hoc ad Subſellia evocato, obſito pannis Illo ad Scabellum pedis detruſo. Plures facilè poſſem,

ſed agmen claudet *Hemingius*, rem omnem unico complexus verbo, Ἀδιάκριτος. *eſt* ἀπροσωπολήπτως, *utpote quæ minimè perſonas reſpicit, ſed cauſas.* His accinunt & *Syrus*, *ſine partitione*, (nempe iniquâ) & Noſtrates, qui in vernaculâ poſuerunt, *Without Partiality.*

Horum autoritati pondus haud mediocre aſtruere videtur famoſum illud, tùm Judæorum in omnes Exteros odium, tùm & ipſos inter Judæos Sectarum ab invicem diſcrepantium. Quod uſque adeò flagrâſſe perhibetur, ut ne Æquitati quidem, nedum Miſericordiæ ſupereſſet locus. Hinc & illa Servatoris de *Samaritano* Parabola. Hinc & Apoſtoli hîc loci monitum, ad Chriſtianos è Judæis factos ſcribentis, quàm maximè appoſitum: Religionis nempe noſtræ viſcera, ſive in opis indigos benevolentiam ſpectes, ſive judicia alios temerè damnantia, latius patere; Et quod æquum bonumque eſt, nullo diſcrimine, univerſis, cujateſcunque fuerint, ἀφθόνως fieri debere.

Luke x.

Conſect. Hoccine igitur demum eſt ſapere, ut Chriſtianos decet, homines modulo metiri noſtro? Qui nobiſcum ſentiunt, illos Prudentes, Probos, Pios exiſtimare Solos? Nemini prætereà

prætereà parcere, in Noſtris, Noſtrorumque vitiis ſemper connivere? Patriam, Eccleſiam, Omnia, partium poſthabere ſtudio? Pudeat, quibus hæc opprobria dici poſſunt. Quæ tamen cum undique dici ſoleant, & graviſſimæ idcircò fundi querimoniæ; utinam non in his graviſſimè fuiſſet etiam undique peccatum. Enimverò ab ejuſmodi injuriis magis temperatum eſſet, niſi iniquos manifeſtò deficeret, quæ noviſſima jam occurrit Sapientiæ cœleſtis nota,

8. Ἀνυπόκριτος. Deum omnia ut ſunt cernentem ludibrio habere quam indignationem meritò moveat; A Religione *veritatem in intimis diligente* quantum abhorreat fraudes nectere; Nemo cordatus neſcit, Nemini Chriſtum Phariſæos objurgantem recolenti excidere animo queat. Nimirum infirmæ, exiguæ, perfidæ, & malè ſibi conſciæ mentis vitium eſt Hypocriſis. Nec quidquam eſt, quod vel ad Hominis, vel Chriſtiani Dignitatem faciat magis, quàm ut ſimplicem ſe præbeat & ſincerum, in omnibus ſimilem conſtantemque ſibi; Ut nihil in ſe ſubdoli, nihil ſimulati admittat; Sed & qui eſt, is audeat videri; Et, qui eſſe debet viderique cupit,

Pſal. li.

pit, is demùm revera ſit ; Et multò malit ſe eſſe quam videri.

Conſect. Viderint ergò, Sibi cum hâc Sapientiâ quemadmodum conveniat, qui *Proteas* agere nunquam non ſunt gnari : Qui, quoties aut dicere quæ non ſentiunt, aut facere quæ non probant, è re ſit ſuâ, *Tempori cedendum* cauſati, officio factum ſatis arbitrantur. Viderint, quibus narrantur Surdis, & Conſcientiæ obligatio, & Legum æquitas, & Eccleſiæ pax, & Rituum decor, & Cultûs divini unitas ; At ſi lucelli Spes aliqua effulſerit, novam induere faciem contenti, vel ſanctiſſimam communionis teſſeram, continuò nihilominus confringendam, in ſe ſuſcipere homines frugî non verentur. Viderint, qui Rationis humanæ prærogativam obduræ Incredulitati, Qui Veritatis & Eccleſiæ zelum pravæ Ambitioni prætexunt: Viderint, Qui Jura & Libertates conſervandas Contumaciæ impotenti, & poteſtatem fortunamque ſuperiorem exoſæ, Qui Deum pro ſuo more atque arbitrio colendi Libertatem Schiſmaticis in vulgo Diſſidiis, & Avaritiæ inexplebili, Qui denique Pacem & Moderationem (ſic enim loqui amant nonnulli,

nullis, qui nihil minùs volunt) clandestinis Machinationibus obducunt velum. Viderint postremò, Qui Bonum, quod genus cunque Publicum, Privatis, vel Commodis, vel Libidinibus, vel Opinionibus præjudicatis, vel Amicitiis, vel Inimicitiis obtendere satagunt suis. Viderint, inquam, meminerintque simul monco, Speciem pulcherrimam quod intùs est Monstri Deum cordium scrutatorem celare non posse; Proborum piorumque quam sibi jam imponunt personam summo cum pudore mox detrahendam; Hanc autem qui eo arripiunt consilio, ut nube obtecti gravius noceant, Ejus esse filios præ cæteris germanos, qui animo perdendi *in Angelum lucis se transfigurat.*

Jamque opus susceptum tandem absolvi, plura haud dixisse perquam difficile expertus. Sapientiæ enim Criteria non sunt à me tàm pertractata, quàm delibata singula. Sed Patientiæ vestræ, subvereor ne jamdudum læsæ, parcendum erat, & perorandi finis aliquando faciendus. Id unum à Vobis exorare liceat, animum ut advertatis, quâ Plebem Christianam instrui atque ornari fas est, quantum in Clero præ cæteris emicare oporteat

Sapientiam.

Sapientiam. (Quodcunque enim noſtro fit exemplo, id jure quodam fieri videbitur. Nobis ſiquidem & Gregis Salus, & Muneris Dignitas, & Synodi hujus Sacræ Autoritas, Et Eccleſiæ, Reipublicæ, Reginæ, Quies, Amplitudo, Stabilitas, ſedulò tuenda, adornanda, provehenda. Nec parùm refert noſtrâ, cùm qui omnia in pejorem rapiant partem, (ea eſt hujus temporis iniquitas) reperiantur plurimi; Ut qui nobis peſſimè volunt, aut quod dicant malè non habeant, aut criminantium querelæ ſint omni palam populo vaniſſimæ.

Abſit ergò, ut, cùm Mater Sapientiâ antecellat, ab Iis, in quibus tutelæ debet eſſe plurimum, eò deſipientiæ deventum ſit Filiis, ut aut Ejus præſidio & incremento, aut honori officioque uſpiam deſint ſuo. Quod & in Nobis, (Patres, Fratreſque) minimè futurum ſpero ſpondeoque: Et ne fiat, Dei Miſericordiam precibus omnibus oro obteſtorque. Cogitationes, Conatus, Conſilia, Conciones, Pater ille Luminum præveniat, proſequatur, perficiat, ſecundet. Singulis autem noſtrî, pro immenſâ bonitate ſuâ, largiatur *quæ deſurſum eſt Sapientiam, pudicam,*

pudicam, pacificam, modeſtam, ſuadibilem, plenam miſericordiâ & fructibus bonis, non judicantem, ſine ſimulatione. Idque per & propter Jeſum Chriſtum, Filium dilectionis ſuæ; Cui cum Patre & Spiritu Sancto, Deo triuni, ſit Honos, & Gloria, & Gratiarum Actio, in ſæcula ſæculorum, *Amen.*

FINIS.

ERRATA.

PAg. 6. lin. 8. poſt paucis, dele, p. ibid. lin. antepenult. leg. *ſui*; p. 8. l. 5. dele, p. 12. l. 17. pro *egit* leg. *eget*. p. 18. l. 6. in *turpius* dele ‘.

pudicam, pacificam, modestam, laudabilem, plenam misericordia & fructibus bonis, non judicantem, sine simulatione. Idque per &
propter Jesum Christum, Filium dilectionis tuæ; Qui cum Patre & Spiritu Sancto, Deo trinni, sit Honos, & Gloria, & Gratiarum Actio, in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

Errata.

Pag. 6. lin. 8. post pueris, dele, p. ibid. lin. antepenult. leg. Ad; p. 8. l. 5. dele, p. 12. l. 17. pro erit leg. erat. p. 18. l. 6. in turpibi dele.